DISSERTATIO MEDICA

21

INAUGURALIS,

DE

FEBRE ENDEMICA.

THOMA SHORTT AUCTORE.

Quamdiu homines manserunt proprio solo adstricti, et nesciverunt reliquas partes orbis terrarum, sustentati et nutriti fructibus quos tellus sponte fundit, almaque rerum parens benignè suppeditat, morbi fere ignoti fuerunt, necdum exarserat vis eorum immansueta. Praediti mente valida, e ratione vivendi ortâ, non fictis malis cedere soliti, nondum molles pulvini corpora debilia, mentesque infirmas, reddiderant. Contrà, monitis naturae obedientes, insidias morborum homi-

A

Edinburgh:
C. Stewart. 1815.

nes magis temerarios deprehensuras, effugerunt. Sic sanitate fere perpetuâ usi sunt, firmatâ et stabilitâ simplice victu, exercitationeque quotidiana; donec, aetate ingravescente, infirmitatibus senii confecti, tandem supremum obierint diem.

> "Such the reward of rude and sober life,
> "Of labour such."——

Si gens humana secuta esset hoc tam sapiens consilium Supremi Patris, et quisque suum natale solum occupâsset coluissetque, bellum, et morbi innumeri, ab alieno commercio nati, fuissent prorsus ignoti.

Sed tandem facti inquieti, nec suis angustis finibus contenti, actique pristinis sedibus cupidine victoriae et lucri, variis malis, novo coelo inductis, cibique mutatione, opportuni devenere, et eorum fatales effectus nimis cito experti sunt.

Morbus de quo nobis agendum est triste quidem, sed perspicuum exemplum harum affirmationum nobis offert; quum vix unquam incolas regionum ubi saevit, nisi singulari rerum concursu, adjuvantibus segnitie luxurieque, adoriatur, sed peregrinis sit nunquam satis formidandus et praecipuè nostratibus.

"It seems that foreign air
"Is now at enmity with English blood."—

SECTIO PRIMA.

PROPHYLAXIS.

Quoniam certi status corporis, nimius scilicet vigor, plethora, temperamentum irritabile, &c. huic morbo magis opportunum reddunt, rationes prophylacticas sequi oportet, ut his, ante transitum e frigida in calidam regionem, recte praecaventur. Alii medici

hanc praeparationem esse faciendam, postquam in calidas regiones perventum fuerit, sentiunt; alii vero tempore proficiscendi. Mihi quidem videtur posteriorem esse optimum modum, quoniam, primo post adventum die, semina morbi in corpus possunt recipi, et fatalia evadere, ubi si opportunè praecautum fuisset, homo potuisset effugisse malum.

Cum primum igitur conscendimus navem, in tropicam regionem ituri, incipiendum est diminutione solitae quantitatis cibi, et oleribus quantum possumus vesci oportet. Vitanda sunt vinum, latices meraciores, et alia stimulantia. Semper etiam meminisse juvat, multo pauciora ingesta esse necessaria navi inclusis, quam illis qui non a terra exiverunt; nullus enim est ibi locus exercitatione, et requies corporis major: forsan dimidium soliti alimenti satis fuerit hoc statu inertiae fere perfectae. Si navigatio duraverit a quatuor usque ad sex hebdomadas, sumenda sunt me-

dicamenta purgantia, saltem semel hebdomade, et exercitatio est utenda, coelo sereno, quantâ possumus commodè frui ita siti.

Juvenibus, et corpus plenum habentibus, si ferveat coelum, paucae unciae sanguinis ante detrahendae quam e navigio exscenderint, et ardores solis omnimodo vitandi aliquamdiu post navem relictam.

Hic observanda est accuratissimè tenuis diaeta ex oleribus praecipuè comparata. Quin et ad levandam sitim potus liquoris *lemonade* dicti, solutionis supertartritis potassae *imperial* vocatae, aquae frigidae, theae frigidae, et fructus subacidi sunt anteferendi potionibus laticis *rum* vocati cum aqua commista, illius *punch* appellati, vini aquae permisti, et similibus, quae valetudini maximam injuriam, morbos inducendo, nunquam non afferunt.

Exercitatio est sumenda multo mane; et poculum coffeae ante exitum e domo mirum in modum recreabit.

Vestimenta debent esse levia, et xylina sunt anteferenda lanulae, quoniam haec nimiam irritationem calido sub coelo creat. Objectis nocturno aëri pallium reperietur additamentum haud ineptum; scilicet quod facilè induatur vel exuatur, sine ullo incommodo.

Usus balnei maximè laudatur, et procul dubio erit saluberrimus, cum illi qui nuper advenerunt caleant quatuor gradus supra assuetos regioni.

Autumno, tempestatibusque et locis insalubribus, nec facilè evitandis, superiora domorum tabulata sunt semper habitanda prae contignationibus inferioribus; quod consilium non sine summa sagacitate initum est a Doctore Borland, *Inspector of hospitals*, quum

missus esset ad insulam Walcheren, ut renunciaret de natura morbi qui illic tunc temporis saeviebat, quo instituto vitas multorum millium suorum, qui, nisi haec mutatio facta fuisset, procul dubio, periissent, morti instanti eripuit.

Morbo saepe praecavetur certis januis vel fenestris, quae in paludes spectant, occlusis; attamen migratio ad situs magis salubres ne quidem per brevissimum temporis spatium negligenda est.

> " In quest of sites avoid the mournful plain
> " Where osiers thrive, and trees that love the lake,
> " Where many lazy muddy rivers flow:
> " Nor for the wealth that all the Indies roll,
> " Fix near the marshy margin of the main;
> " For from the humid soil, and watery reign,
> " Eternal vapours rise."—

Denique timor omnino a mente est fugandus, scilicet cujus affectus vis, modo non aspernando, actionem miasmatum palustrium

promoveat. Si autem aegritudo accesserit, nulla mora fiat arcessendo medicos; incipiente enim morbo, et vix postea, spes sanationis permittitur aegris.

SECTIO SECUNDA.

CAUSA.

Febres Flavae Indiae Occidentalis et Americae; Febres Aestivae oppidi Gibraltar, Hispaniae, Minoris Balearium, Italiae, Siciliae, Melitae, Graeciae, et illa quae in exercitum Britannicum saeviit, insulâ Bataviae, dictâ Walcheren, anno MDCCCIX, sunt procul dubio unus idemque morbus, ab eadem causa ortus, eadem signa exhibens, et curatus eodem modo; diversus tantum indiciorum vehementia et rapiditate, a statu morbi magis intenso, nato ex idiosyncrasi, aetate, sexu, et temperamento illorum qui ejus vi objiciuntur, et qui magis

vel minus obnoxii, secundum regionem et situm ubi gignitur, redduntur.

Falsò creditum est, has febres omnes ortum duxisse et propagatos fuisse contagione; sed experientiâ tandem plene probatum est, rem nequaquam sic se habere, paucique tantum manent qui viderunt et curârunt hosce morbos, et tamen aliter sentiunt. Quod existant ubi mala contagione vulgata conquiescunt, et quod existant hoc tempore insigni vi, quod etiam conquiescant ubi tales morbi maxime saeviunt; haec jamdudum rem summi momenti medicos docuisse debuerunt. Praeterea, est bene notum, si quilibet numerus virorum qui his morbis reapse laborant, ad alteram salubrem regionis partem removeantur, morbum ipsum brevi conquieturum esse, suâ noxiâ vi cum incolis circumcircà non communicatâ.

Sunt qui dicunt, et hoc quidem est illis

caput argumenti praecipuum, quoniam duos vel plures homines eandem domum incolentes, adorta est febris, non omnes eodem tempore fortasse, sed perpetuâ serie, non posse fieri quin contagione vulgetur. Sed illos qui hoc asserunt, oeconomiam animalem et leges quae eandem gubernant, parum scire oportet; nam si secum volvissent, necesse fuisse omnes homines supradictos eidem causae objici, et quod morbus exhiberet se citius uno quam altero, deberi diverso habitui corporis, temperiei, aetati, &c. hae opiniones nunquam forsitan prolatae fuissent; est enim res bene nota, semina morbi menses posse existere in corpore antequam se ostendunt.

Febrem aestivam oppidi Gibraltar contagione esse propagatam, creditum est a nonnullis propter rationem supradictam; verum enim vero ejus naturam esse contrari-

am, vix dubitare possunt isti qui ejus causam accuratè indagaverunt.

Oppidum Gibraltar situm est ad basim ingentis rupis, fere tria millia pedum altae, declivis oppidum versus, quâ herbae nascuntur. Hae partim in oppidum vehuntur pluviis summo monte attractis, et una cum materia herbacea, semper in plateis jacente, vi potente solis afficiuntur. Porro, quoniam terra ad colenda olera difficillimè comparetur, fossae munimentorum in hortos convertuntur, et aquâ e variis fontibus irrigantur, humidaeque servantur ad fructus per aestatem gignendos.

Vix fieri potest quin purgamenta olerum talibus locis crescentium, et etiam materia animalis e magna laniena in oppido dimanans, substantiisque herbaceis commista, vi radiorum solis affecta, morbum hujusmodi efficiant; praesertim quum miasmata collecta,

saepe ventis eurinis quae illic aestate crebrò spirant, in angustum spatium oppidi concludantur, situ rupis a posteriore effugium omnino prohibente. Et hinc sine dubio gignitur vehementius malum quod certis temporibus exoritur. Autem sunt multa alia indicai, morbum de quo agimus non contagione vulgari; et hoc quod sub meam notitiam cecidit affirmationem, ut confido, plene comprobabit.

Per aestatem nuper actam, milites in *Dillon's regiment* valetudine maxime adversa usi sunt, patientes multa a Febri quae tum in praesidio saeviebat; et quum horrendum in modum cresceret, visum est optimum imponere illos in naves; quod igitur factum est, et in onerarias portu jacentes constipati sunt.

Aliquandiu postea, complures febri laboravere; sed semina morbi antequam e terra

egressi fuerant manifeste acceperant. Post paucas hebdomadas, tamen, morbus omnino conquieverat, et hi milites prosperâ valetudine usi sunt, cum illi qui ad praesidium relicti fuerunt morbo vehementer premerentur.

Si hic morbus fuisset contagione propagatus, ejus effectus certè se citissimè prodidissent tali situ, nimirum qui solus contagionem gignere posse videretur; sed morbus ortum ducens tantummodo ab effluviis palustribus in littore, fere extemplo e militibus extirpatus est, quum a situ insalubri, quem ante conscensionem in naves occupâssent, amoti essent.

Unum navigium classis a Gibraltar, quae ad Angliam appulit, novissimo mense Novembris, quâ etiam ego trajeci, habuit milites invalidos, qui ad tormenta majora versati fuerant, et in Rupe stationem aliquamdiu

habuerant. Illorum duo febri in nave correpti sunt, die quo velo dabamus, sed morbus non ulterius vagatus est, et tametsi complures trajiciebant eâdem nave quâ ipse a Gibraltar, nihilominus morbus nullos invasit; et in Angliam demum appulimus postquam mensem, dum morbus se prodidit, in sinu Gibraltar permanseramus, communicatione cum littore non interruptâ, nec tamen ullus erat febri afflictus; nautae eâdem nave navigantes fuerunt supra quingentos homines.

Febres aestivae Italiae, secundum *Lancisi* et *Baglivi*, non vulgantur contagione; quippe quae saepe adoriantur unam partem oppidi, dum incolae aliarum partium, qui longius absunt a fonte effluviorum palustrium, nec tamen communicatione liberâ interuptâ, prosperâ valetudine utuntur. Quod ad Siciliam attinet, exempla hujuscemodi saepe sub mei ipsius notitiam ceciderunt.

Anno MDCCCXII, manus equitum expeditorum, legionis vigesimae, stationem in Messina habuerunt. Non longe a casis militaribus erat *fiumara*, ut dicitur, seu alveus fluvii, cujus ripis posita erant innumera parva tuguria, quae milites connubio juncti maluerunt conducere, quam, ut familiae in communibus casis militaribus viverent, sinere. Cum primum coelum fervescebat, febris hujusmodi, inter familias quae hunc locum occupaverunt, insigni vehementiâ exarsit; illa autem conquievit quum amoverentur; et quamquam qui ad *fiumara* vixerant homines frequenti et revera quotidiano commercio cum illis in casis militaribus usi sunt, complures etiam postquam morbus se prodiderat, et tametsi aegri cum reliquis in nosocomio sine discrimine commisti sunt, ne quidem unus homo, exceptis ad tuguria pertinentibus, morbo affectus est.

Aliud exemplum ejusmodi iisdem militi-

bus contigit novissimo mense Sextili, nec minus manifestum evasit. Cum hospitium commodum non potuit in casis militaribus obtineri, manus hominum, circiter centum ut videtur, habitationes acceperunt in Stradone urbis Panormi, quorum multi febri correpti sunt, quae tam citò propagata est, ut non parvum metum concilio ad salutem conservandam ejus urbis injiceret, et omnium fere quintam partem maximè e praefectis inferioribus conficeret, brevi, dum illic manerent. Quum autem reduceretur haec manus, tametsi fere omnes febre correpti sunt, morbus non sodalibus propagatus est, quamquam cum sanis in casis militaribus misti sunt, et cum illis in nosocomio quorum mala leviora fuerunt.

Ambobus exemplis jam recensitis, febribus tantam vehementiam inter milites exhibentibus, incolae regionis morbo haudquaquam affecti sunt.

Ne vager extra limites huic parvo operi positos, non licet singulatim recitare varia argumenta quae proferri possunt ad firmandas opiniones, cum febres de quibus agitur non vulgari contagione, tum esse omnino similes; sed opus celebris *Jackson* de febribus Indiae Occidentalis, Doctoris *Rush* et aliorum relationes de febribus Americanis, Doctoris *Bancroft* tractatus de febribus Gibraltar, &c. Doctores *Cleghorn* et *Burnett* de febribus Minoris Balearium marisque interni; *Irvine* de morbis Siciliae; *Hippocrates Riverius*que de morbis Graeciae; Joannes Pringle eques de morbo insulae *Walcheren*, et relationes illorum quibus mandatum est investigationem facere de hoc, pertinacissimis plenam fidem afferre debent quod ad veritatem assertionum quas feci.

Testimonia multorum aliorum clarissimorum peritissimorumque virorum, qualia variis libris in lucem editis apparuerunt, alicu-

jus momenti esse debent; testimonia illorum, quos experientia solum, (trahente nec theoriâ ratiocinatione falsâ), magnam veritatem docuit.

Ex argumentis testimoniisque praeclaris quae adduximus, satis constat, morbos de quibus agitur non posse oriri nec pendere a contagione, e corporibus illorum, qui hisce febribus laborant, dimanante, sed gigni tantummodo a miasmatis palustribus, ut vocatur, effluviis scilicet e locis paludosis vel ex aqua stagnante, quâ substantiae herbaceae animalesque diffunduntur, progredientibus; vis enim potens radiorum solis illas afficit et extricat aërium vaporem, humano corpori inimicissimum, febres gignentem typorum continuatorum, remittentium, vel intermittentium, secundum ejus statum densitatis, et conditionem corporis cui applicatur.

"From such a mixture sprung, this fitful pest
"With feverish blasts subdues the sick'ning land."

Hinc opiniones, non certissimis rationibus firmatae, anxiè supprimi debent; scilicet quae saepe regionum florentissimarum ruinam decernant; opiniones enim, quas homines morborum ignari amplexi sunt, difficillime eradicantur.

SECTIO TERTIA.

INDICIA MORBI.

" Cold tremors come, and mighty love of rest,
" Convulsive yawnings, lassitude and pains,
" That sting the burden'd brows, fatigue the loins,
" And rack the joints, and every torpid limb;
" Then parching heat succeeds till copious sweats
" Oerflow; a short relief from former ills.—
" Beneath repeated shocks the wretches pine;
" The vigour sinks, the habit melts away;
" The chearful, pure and animated bloom
" Dies from the face, with squalid atrophy
" Devoured, in sallow melancholy clad."

Febris Endemicae forma gravissima et maximè fatalis est continuata, cujus cursus est brevis violentusque; remittens, vero, est species usitatior, et habenda est priore minus periculosa; sed, declinante morbo, et incipiente frigore, saepe induit extemplò typum intermittentem, qui plerumque sine labore periculove solvitur.

Solet incipere lassitudine, defatigatione, accessionibus frigidis, torpore, vertigine, erubescente subinde vultu, oculorum rubore, dolore in pupillis fixo, auctoque motu. Adsunt praeterea dolor et sensus ponderis, nunc in fronte supra oculos, nunc in occipite, efficientes perceptionem corporis frigidi gravis, instar argenti vivi, ibi jacentis; dolores in dorso, lumbis, artubusque, suspirium, et saepe ad comam inclinatio. Cutis est plerumque arida; si autem humida, etiam glutinosa. Pulsus hoc tempore est frequens,

parvus et repressus; lingua est albida, fere semper limosa et humida.

Post spatium duodecim horarum agitatio quam notavimus plerumque subsidere incipit, et aeger renovatus videtur, sed indicia saepe vi duplice cito postea redeunt; pulsus durus, plenus, rapidusque evadit; intenditur calor corporis, praesertim capitis et trunci; si lingua manet humida, sitis non est magna; si autem arida, fusca vel nigricans, vehementissime urget; augetur impetus sanguinis caput versus, cum validis pulsibus arteriae carotidae et temporalis; adest etiam confusio cogitationum, raro tamen delirium. Urina est parca et intestina maximè torpida, egentia validissimis medicamentis purgantibus drasticis, ut excitentur excretiones: quin et observatur magna oppressio spiritus, saepe comitata inflammatione cerebri, pulmonis, jecoris, septi transversi, intestinorum, splenis et ventriculi, qui

dolore afficitur tactu cum magna irritatione. Cutis forsan subflava devenit, et signa jam notata circiter triginta sex vel quadraginta octo horas manent. Morbus deinde declinat, calor cito diminuitur, privatio sensus supervenit; flava cutis color augetur, et demum livida evadit. Omne in ventriculum ingestum rejicitur, materia glutinosa mistum. Saepe occurrit magna ventriculi irritatio, cum vomitione assidua, nec levanda; vomitio etiam materiae nigrae sedimento coffeae similis, una cum dejectionibus alvi nigris et foetidis, ingratissimis.

Sanguis aliquando hoc tempore e naso, auribus, oreque exit, pulsus fluctuat, et tandem vix percipitur, partes extremae frigidae evadunt, oculus splendorem perdit, nec est illi diutius significatio diserta; pulsus fere prorsus quiescit; spiritus fit difficilis; aeger jam buccis morte solutis, raucum sonat, signum pessimi ominis, quod, una cum aliis, in-

teritum annunciat nixu convulsionis efficiendum.

Quanquam indicia istiusmodi plerumque observantur, non desunt multae varietates; pauci enim morbi formas tam abnormes induunt.

Aliquando aeger, vertigine correptus, extemplo concidit sine sensu vel motu voluntario, multasque per horas eodem statu manet, corpore frigido sudore perfuso, quem excipiunt calor intensus, pulsus rapidi, magna anxietas, dolor capitis, oculi inflammati, humidique, in capite volubiles; nausea, vomitio, et dolores in ventriculo surisque cruciantes.

Fit saepe remissio evidens ad finem viginti quatuor horarum, nonnunquam citius, quando morbus subsidit, quod etiam accidit signis antecedentibus, propter excretionem quamvis salutarem, putà sudore, urina, mag-

nis alvi dejectionibus, profluviis sanguinis et similibus. Observatur fere semper impetus sanguinis certa organa versus, cerebrum scilicet, pulmonem, jecur, splenem et vesicam; pluribus eodem tempore saepe affectis; tanta est vis morbi.

Sub finem formarum maximè fatalium accedunt magna virium oppressio, tremores artuum, tendinum vellicatio, coma, stertor, spiritusque difficilis; levis horum signorum remissio brevi ante mortem fieri solet, sed aeger miserrimus repentino e medio tollitur, ad initium quasi novi febris status frigidi.

Typus intermittens fit satis acri febris accessione, quam excipiunt paroxysmi sequentes, et signa jam antea ab auctoribus descripta.

Non nobis sentiendum est, cutem flavam, unde morbus nomen impropriè adeptus est,

semper huic morbo adesse, nec habendus est certum signum diagnosticum vomitus niger; quippe quae, formis gravissimis tantùm, ubi aegro nec maturè nec accuratè initio adhibita sunt medicamenta excernentia, occurrant. Vomitus niger, sanguis e parvis vasis tunicae ventriculi villosae effusus, in nigriorem colorem versus, per aliquam mutationem chemicam in ventriculo factam, de qua haud satis constat, esse videtur.

Quibusdam exemplis, sed raro quidem, aegri sensum motumque voluntarium perdunt, nec unquam recuperant.

"A ponderous sleep
"Wraps all the senses up: They sleep and die."

SECTIO QUARTA.

DIAGNOSIS.

Si omnibus quae febri pertinent adhibeatur attentio accurata, non erit difficile sententiam ferre de ejus natura; nec tamen cito formandum est judicium. Re tanti momenti occupatos, praejudiciis ac theoria pariter omissis, veritatem solam exquirere oportet. Medici tamen, ut videtur, aliquando nimis properi sunt, saepeque damnum irreparabile gignunt, ferendo et vulgando opiniones falsas de hac re, quae tam arcte bono publico conjungitur.

Quanquam admittendum est, esse multa signa febribus quae contagione propagantur cum reliquis communia; singula tamen in-

dicia nunquam nos sententiam talibus exemplis ferre sinunt. Necessaria sunt argumenta validiora, tamque situs quam morbus ipse est accuratè investigandus.

Facile signis sequentibus dignoscitur Febris Endemica, quod tempore caloris vehementis, quando deficit pluvia, occurrat; quod, etiam, quo magis calor intenditur, eo majore augeatur vi; quod tempore hiberno mitior evadat, et frigescente aëre evanescat; quod insuper saepius peregrinos, robustos, corpusque plenum habentes, maximè vero illos qui a regionibus frigidis venerunt, invadat. Huc accedit quod aliae oppidi partes non afficiantur cum aliae morbo laborent, quodque nunquam illis qui aegris ministrant adstantibusve propagetur. Quin et aliquando supervenientibus cute flavâ, vomituque bilioso, scilicet quae rarò, si unquam, in aliis febribus occurrant, dignoscitur.

A typho his indiciis distinguitur, quod calidis regionibus tempestatibusque, ubi ille morbus non existit, gignatur, calore nimirum impediente quo minus contagione vulgetur; quodque typhus debiles et languidos, Febris autem Endemica plenum corpus habentes invadat.

Denique a peste his indiciis potest distingui, quod calido aëre maxima vi saeviat, ubi pestis vel subsidit vel evanescit; quod frigescente aëre decedat, ubi formam suam gravissimam induit pestis; quod etiam bubo, carbunculusque se non ostendant. Hic adjici licet Febri Endemicae semper adesse paroxysmum febribus proprium, pestem autem nonnunquam fieri ubi nullus apparet.

SECTIO QUINTA.

PROGNOSIS.

Judicii sagacis de indiciis febrium formatio, et causarum signorumque fatalium notitia, attentionem medicorum optimo jure sibi vindicant; scilicet quae potestatem avertendi periculi imminentis, et hoc modo solvendi morbi, subministrent. Cordis arteriarumque actio modica; pulsus ad normam fere exactus, fortisque; cutis mollis, laevis, sensuque praedita; calor parum auctus, cum sudoribus levibus, calidis, aequaliter per totum corpus diffusis; oculi vultusque clari et vividi; lingua, crassâ, vel fuscâ, vel albidâ crustâ, ad margines separatâ, obtecta; sitis modica, cum acidorum desiderio; ventriculus irritatione liber, (etiamsi vomitus biliosus non semper mali ominis sit); excre-

tiones urinae stercorisque secundum naturam, sine foetore ingratissimo, et coloris soliti; remissiones febris vel intermissiones manifestae; corporis secretiones non multùm mutatae; profluvia sanguinis et excretiones periodicae; eruptiones circa os faciemque exortae; emplastra vesicatoria recte turgentia; appetitûs reditus, cum sudoribus per corpus paulatim auctis matutinum tempus versus, prospera signa morbi de quo agitur sunt habenda. Vehemens autem cordis et arteriarum actio; cutis calida et sicca, glutinosa quoque et unguine oblita; coma; pulsus arteriae carotidae temporalisque validi; pulsus generalis languidus, nec vi resiliendi praeditus; oculus moestus, speque ab omni derelictus, aquosus, in capite volubilis, turgidus quoque, sine significatione diserta, flavumque exhibens colorem; vultus pallidus, unguine oblitus, marcidus, lividus, fuscus; facies etiam tetra, nubila, et confusa; lingua aspera, nigricans et arida, turgida et

rigida, sitis importuna, magna ventriculi irritatio; vomitus niger, materiaeque glutinosae vomitus; in regione epigastrica et hypochondriaca perque totum abdomen dolor et tensio, pressurâ auctae; dejectiones alvi nigrae, foetidae et sanguineae, tristia tormina, respiratio gravis difficilisque; pustulae sero plenae, petechiae, maculae gangraenam annunciantes; excretionesque urinae stercorisque invitae, signa fatalia sunt omnia habenda, quae mortem instantem nimis certè portendunt.

SECTIO SEXTA.

RATIO MEDENDI.

Propter miram, quam subit constitutio in gravibus morbi formis, mutationem, ad summovendum hunc statum valdè morbidum, qui nec aetatem, nec sexum, nec tempera-

mentum respicit, nec denique tenero infanti parcit, insolitis rationibus uti oportet. Vires mirabiles, quarum ope ad afficiendum corpus ita male se habens indigemus, ut nuper, verbi gratiâ, in curatione *Cynanches trachealis* peritè factum est, planè quod talibus exemplis fieri potest, strenuisque a consiliis commoda derivata ostendunt.

In febris curatione, duobus praesertim statibus attentio est adhibenda, formanti nempe formatoque morbo.

In priore, omne pendet a fortibus strenuisque consiliis, quippe quae sola morbum cohibere valeant.

Posteriore seu statu formato, ubi morbus nonnihil progressus fuit, et forsan uni vel pluribus praecipuorum corporis organorum haud parum detrimenti attulit, spes multo

minores restant, tunc enim curationis exitus profecto valde ambiguus est.

Quoniam initio hujus maximè fatalis morbi formae, plerumque adest vehemens actio contra, vasorumque magna irritatio, necesse est ut haec summoveantur, et ut actio morbida, quantum fieri potest, vincatur.

Hoc citis magnisque excretionibus, vi aegri accomodatis, optimè perficitur; et ita conari debemus, vel statim solvere morbum, vel inducere febris remissionem, intermissionemve, quae sic effecta semper facilius curatum reddet.

Cum morbus se ostendit, quâcunque formâ, sine mora sanguinem, secundum aetatem, sexum et temperamentum aegri, mittere oportet. Si morbo affectus sit juvenis, vegetus, plenum habens corpus, non minus quadraginta vel quinquaginta unciis illi de-

trahere juvat; si autem morbus vehementèr urgeat, ad sex libras, dummodo obtineri possint, progrediendum est. Et hinc optimi orientur effectus, saepeque signorum cessatio perfecta fere confestim sequetur.

Multi medici forsan mirentur tantam laudari exinanitionem; sed auctor fiduciâ loquitur, quum saepius illam quantitatem felicitèr detraxerit; et semper invenit, ubi sanguinis missio hucusque facta fuerat, supervenisse nec nigrum vomitum tam formidatum, nec flavum cutis colorem, aegrosque citò refecisse vires, neque vexatos fuisse affectionibus viscerum diuturnis, quae nimis crebrò consilia inertia sequuntur, et hoc quidem post tardae gravisque molestiae menses, quum aegri jam spei indulgere posse viderentur se febrem effugisse, sed revera paulatim marcescant, donec tandem mors finem laboribus imponat.

Sanguis semper e magna apertura mitti debet, et aegri crura pedesque simul in calidam aquam mergi possunt, dum aqua frigida capiti humerisque affunditur, et si syncope inducatur tanto melius, prosperum enim habenda est signum; modo non fiat nimis cito, et sic profluvium sanguinis ab apertura impediat. Hac enim ratione nitimur ut actionem morbidam in corpore existentem deleamus, repentè scilicet minuendo vires actionis vasorum.

Cum primum a molestia, sanguinis missione inducta, reficitur aeger, decem grana submuriatis hydrargyri, cum tot pulveris Jacobi, in pilulas, cum parva saponis portione confecta, adhibenda sunt, ut intestina vacua reddantur, et sudor gignatur, qui est fovendus; si autem non excitet alvi dejectiones hoc medicamentum, quod saepe fit propter viscerum torporem in morbo de quo agitur, vel per se repetenda sunt submuriatis hy-

drargyri quinque grana, post quasque duas horas donec fiant dejectiones alvi, vel adhibenda sunt alia purgantia drastica, quae in ventriculo manebunt, una cum injectionibus purgantibus; quoniam optimi effectus ab amotione materiae irritantis e canali intestinorum sequantur oportet. Sulphas magnesiae plene dilutus, una cum parva tartritis antimonii portione, magnopere laudatur pro medicamento cathartico ubi non aegrè retinetur.

Medicamenta vomitoria, nisi res vehementer postulet, non sunt utenda, quippe quae saepe violentam ventriculi irritationem inducant, signum sane molestissimum, et vix ac ne vix quidem postea vincendum. Si autem sunt omnino necessaria propter certa indicia, mitiora, sicut ipecacuanha, praestantiora semper sunt habenda.

Si post sex vel octo horas nulla remissio

facta fuerit, et si actio contra adhuc violenta maneat, repetenda est missio sanguinis, et rursus rursusque est utenda, donec tandem debelletur.

Nullum periculum ex talibus exinanitionibus unquam est formidandum. Si adsint vehementes arteriae carotidae temporalisque pulsus, magno dolore capitis, sensu gravitatis in capite, comâ vel similibus comitati, perficienda est arteriotomia temporalis, detrahendusque quantus sanguis obtineri potest, usque ad triginta vel quadraginta uncias. Quum aperiatur arteria temporalis, cura est adhibenda ne vas sit penitus divisum, quoniam extremitates ita se retraherent, fluxumque sanguinis impedirent; cum, si tantùm partim divisum fuerit, quaelibet sanguinis quantitas detrahi potest.

Quinetiam monere juvat caput radendum esse, saepiusque misturis frigidis lavandum.

Expedit etiam irritationem contra efficere, imponendo emplastrum vesicatorium inter humeros, quod totum corpus afficere valeat.

Si cutis adhuc calida et arida maneat, nec sufficiant rationes antecedentes, neque ulla remissio fiat, tentanda est perfusio frigida, quod consilium utilissimum et verè salutare ad reprimendam actionem vasorum vehementem, invenietur; nunquam, vero, in gravibus morbi formis huic plenam fiduciam dare oportet, nimirum cujus boni effectus prioribus excretionibus valdè augeantur.

Veruntamen quibusdam constitutionibus, paucis quidem, balneum calidum est majori commodo; hoc autem rarum est; ubi, si dolor capitis multum angat, frigidam aquam capiti affundere licet, et, cum aeger a balneo removeatur, perfricare corpus oleo, sicut ab antiquis imperatum est, haudquaquam inutile reperietur, ad solvendam, scilicet cu-

tem, id quod valde desideratur, et quod aeger tepidis potibus solicitare debet.

Porro non sine multo commodo aegri conclavibus magnis, quibus aër facilem habet aditum, cum levibus supra corpora tegumentis ponuntur, ita ut ventus frigidulus, recreans, leniter illis adspiret.

Bene intelligere oportet tractationem quam exhibuimus non nisi gravioribus Febris Endemicae formis ad initium morbi applicationem habere. Ubi vasorum actio minùs vehemens est, consilia temperatiora sunt sequenda, et constitutioni aegri attentio est adhibenda; tametsi plerumque reperietur, consilia maximè strenua esse anteferenda.

Si morbus sine diminutione perstet, et tertio die sine remissione vel intermissione, vel tantum levibus remissionibus appareat, purgatio acris magnum commodum afferet,

atque plerumque remissiones ad normam exactas gignet.

Si occurrant congestiones, missiones sanguinis, emplastraque vesicatoria quam proximè partibus male affectis imposita, auxilio erunt. Hìc balneum calidum cum frictionibus olei juvabit magis quam si morbus non hactenus progressus fuisset. Quin et non sine suo commodo erunt frictiones unguenti hydrargyri per abdomen. Si impediantur vel turbentur munera jecoris vel cujusvis alius magni organi, praeter submuriatem hydrargyri ad purgationem datum, idem dari oportet adeo ut totum corpus afficiat, et huic rei attentio imprimis adhibenda est, quoniam sanatio haud fieri potest ubi turbatur constitutio.

Si sanguinis missiones hoc tempore necessariae sint, quod saepe certis signis indicatur, quantitas detracta modica et repetita

esse debet; sed in purgationem maxima fides est reponenda, quum morbus aliquatenus progressus fuerit.

Hoc morbi tempore gestatio, laudata et imperata a viro praeclaro Doctore *Jackson*, utilissima reperietur ad rumpendam seriem morbidae actionis, ideoque remissionem vel intermissionem gignendam; sed commodum per omnes gradus febris, et maxime posteriores, afferet.

Ventriculi irritatio, fatale saepe signum, optimè imponendo emplastra vesicatoria levatur, ad quod, cum primum appareat malum, fugere oportet; emplastra vesicatoria magna esse debent, regionique epigastricae imponi, et injectiones purgantes sunt iterum atque iterum adhibendae. Astringentibus postea uti licet, qualia sunt solutiones sulphatis zinci et aluminis usti; julepa quoque camphorata similiaque, quoniam haec remedia

opio sunt praestantiora ad summovendam hanc irritationem vehementem, cujus effectus sunt in hac morbi forma valde perniciosi. Si desideretur somnus, humulus lupulus vel in ectypo vel in tinctura, tinctura hyoscyami et talia sunt medicamenta multo magis laudanda, nimirum quae somnum inducant sine irritatione quae opium exhibitum sequitur.

Quando remissiones et intermissiones sunt valdè distinctae, adhibendus est cortex cinchonae, sed semper meliores post usum medicamentorum evacuantium effectus praestabit.

Ubi vermes in canali intestinorum habitant, morbus saepius fatalis evadet, propter nimiam quam gignunt irritationem generalem. Cum igitur aliqui actione purgantium fuerint excreti, vel, signis solitis quae inducunt, aliquos existere constiterit, sunt quam primum expellendi, et si remedia usitata non

sufficiant, ol. terebinthinae hoc plerumque praestabit.

Quoniam non raro in febribus aliisque morbis, ubi vires multùm deficiunt, accidit, mortem subitò invasisse aegrum, exsurgentem tantum ad alvum dejiciendam, vel similes conatus facientem, cordis scilicet et arteriarum actione repentinò consistente; viribus vitalibus adeo debilibus factis exhaustisque, ut rursus ad motum excitare nequeant; semper tales conatus, qui spes optimas saepe frustrantnr, asseclae prohibere debent.

Per morbi cursum semper regimini antiphlogistico obtemperandum est, et potus acidi prae aliis sunt adhibendi.

Cum convalescat aeger, magna attentio ejus cibo adhibenda est, quippe qui, levis et nutriens in quantitate, parvus, at saepe repetitus, esse debeat. Vitandae sunt gallinaceae

et juvenes carnes, quae, contra opinionem, difficillime concoquuntur.

Omne stimulans, praesertim vinum laticesque meraciores, nunquam permittere licet, et magnus cibi appetitus, qui saepe ostendit se est reprimendus, quoniam sit procul dubio appetitus morbidus, periculosissimus si illi indulgeatur. Hic appetitus cibi pilulis sulphatis zinci, mane semper adhibitis, minui potest, quod effectus optatus praestabit sine ullo sensu ingrato. Magna attentio statui viscerum est etiam adhibenda; et submuriatem hydrargyri, solutionesve purgantes dare juvat, quandocunque postulantur, irreparabilem perniciem gignente stipatione. Balneum frigidum, propter vires roborantes, magnum afferet commodum, et forsan lanula proximè cuti apposita, hoc statu recuperationem juvabit, cutem stimulando; ubi salus omnino confirmata fuerit, paulatim inter-

mitti potest, donec tandem prorsus amota fuerit.

SECTIO SEPTIMA.

INSPECTIO CADAVERUM.

Jam tantùm restat, ut speciem corporum dissectorum monstremus. Haec plane quod antea dictum fuit confirmabit, et necessitatem consiliorum strenuorum comprobabit.

In cadaveribus quorum inspectioni ipse adfui, vasa cerebri plerumque turgida et plena sanguine fuere, praesertim si aeger cito post accessionem mortuus fuisset: saepe etiam magna quantitas aquae ventriculos implevit; aliquando sed rarius sanguis extra venas effusus.

Pulmo fere semper fuit inflatus et sangui-

ne plenus, saepe nigris maculis tectus, nonnunquam pleurae costali adhaerens.

Jecur saepissimè sedes morbi vehementis visum est fuisse; moles ejus enim magnopere aucta est, et modò ipsum suppuratum fuit. Uno exemplo, me idem ferè absorptum, magnamque tunicae peritoneae portionem mistura puris foetidi et sanguinis distentum, vidisse memini. Fellis vesica ductusque biliosi, felle speciei nigerrimae repleta sunt.

Ventriculus ferè semper signa inflammationis exhibuit, illis praesertim exemplis ubi fuerat magna irritatio. Vasa tunicae villosae multum aucta, tortuosaque fuerunt.

Intestina plerumque morbida observata sunt, saepe multum inflammata, cum adhaesionibus inter viscera, nigrisque maculis naturae gangraenae, et ulcerata interne, ver-

mes continentia, sanguinemque coagulatum, et materiá nigrâ foetidâ onerata.

Splen auctus, nigrae, mollis speciei, aliquando suppuratus.

Quibusdam exemplis urinae vesica multum spissata fuit.

FINIS.

Excudebat C. Stewart,
Academiæ Edinensis Typographus.